

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1034

1032

1038

1028

461

duo fratres de monasterio S. Catharinae ibi morantes attulerunt nobis caricas et desiccatos dactylos et aquam, de quibus pro refrigerio ei confortatione libavimus. Post hoc, quia nondum meridies erat, consedimus et deliberavimus, an illo die etiam montem S. Catharinae ascendere vellemus, aut quietescere usque in crastinum. In hanc autem convenientius sententiam, ut juniores et siores et qui vellent, jam ascenderent et loco visitato ante occursum solis reverterent, alii vero seniores et debiliores mane in frigore iter arriperent ad ascendendum. Surrexerunt vero decem peregrini robustiores ad ascendendum parati in intensissimis aestibus, quorum haec sunt nomina: dominus Johannes comes de Solms, miles, dominus Heinricus de Schomberg, miles, dominus Sigismundus de Marsbach, miles, dominus Caspar de Siculi, miles, dominus Lazinus, archidiaconus et canonicus ecclesiae transsylvaniae in Ungaria, frater Felix de Ulma, ordinis Praedicatorum, pater Paulus Guglinger, ordinis Minorum, frater Thomas, conversus ejusdem ordinis, et duo comitis servi, Johannes et Conradus. Hi assumptis secum aliquibus Arabibus montem arduissimum S. Catharinae aggressi sunt.

Ascendimus ergo montem per viam longiorem, asperiorem et duriorem, per invias crepidines, per scopulos praeruptos, per petras superpendentes, per minaces rupes, per horribiles saltus perque praecepites clivos, per intensissimos desuper solis ardores. Hoc vero solum habuimus refrigerium, quod duos in tali ascensu fontes reperimus aquam frigidam continentem, unde refocillabamur. Quidam vero miles fractus tam violento labore penitus defecit et in arduissimo clivo residens amplius procedere non potuit. Eramus autem iam ultra medium ascensus et caput montis vidimus licet longe supra, quod dum miles ille debilis aspiceret, desperavit se posse ascendere et rogavit nos, ut ascenderemus, eumque ibi solum exspectare nos sineremus. Ad hoc nos animavimus eum et sursum erectum aliquantulum procedere coegimus, qui aliquotiens sub manibus nostris quasi amens in terram dilabebatur, ligavimus autem sudarium longum ad cingulum ejus, per quod aliqui eum trahebant, aliqui manus ejus tenebant trahentes per brachia, aliqui ad dorsum ejus stabant et sursum trahebant,

1043

1023

1083

0983

0933

0533

0033

Ende

Anfang

